

1177

1994
A
1386





6.

CONCLUSIONES IURIDICÆ,
DE PACTIS
TAM GENERICIS,
QVAM SPECIFICIS.

QVAS

SS. Triade adspirante.

PRÆSIDIBVS

Clarissimis & Consultissimis Viris, ac DD.

D. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &
D. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,
respectiuè Dictatore & Fisco.

*In Florentissimo Antiquissima Agrippinensis Vniuersitatis, Iu-
ridica Facultatis Collegio, publico examini
submittit,*

PERGRINVS à Gruithuis / Nob. Iuliac.
Anno 1629. die 22. Martij.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.

CONCLUSIONES IURIDICAE
DE PACTIS
TAM GENERICIS
QUAM SPECIFICIS

Quas
et Titus adhibuit
Presidens

D. Petro ...
D. Antonio ...
in ...
P. ...

COLONIAE ...
Ex ...





CONTINUATIO.

IN Ius vocato reo & edita actione ab actore accidit sæpè, vt aut reus actorem exceptione pacti remoueat, aut si nullam in promptu habeat, malit tamen cum actore pacisci quam sese dubio litis euentui *l. Quod debetur, ff. de pecul.* subiicere quare rectè Iuriconsultus post tractatum de edendo materiam de pactis aggreditur.

CONCLUSIO PRIMA.

Pactum rectè definitur, duorum pluriumvè in idem placitum consensus, *l. 1. §. 2. ff. de pact. l. 3. ff. de pollicitat.* taliterque definitum completitur sub se omnes species contractuum, *Cuno tract. de pact. c. 1. n. 1. 2. 3. l. 71. ff. pro socio.* cui ratio quoque addi potest, quod in infinitis legibus pacti nudi mentio fiat, *l. 10. Cod. de pact.* frustra autem hoc fieret, nisi & aliud pactum esset non nudum, quæ duo sub vno genere comprehenduntur. *Harmenop. in promptu Iur. ciuil. lib. 1. c. 9.*

2. Pactum primò à pollicitatione differt, quod pactum sit duorum pluriumvè consensus atq; conuentio, pollicitatio sit solius offerentis promissum, *l. 3. de pollicit.* *Hunn. Diss. de pact. quest. 2.* Secundò differt quod pactum fiat alio præsentè & acceptante siue suo, siue alieno nomine, pollicitatio verò tam præsentè quam absenti etiam non acceptanti, *Iason in rubr. de V. O. num. 6. & 7.*

3. Promissio facta præsentè & tacenti in vtilitatem & commodum eius non est pactum, sed pollicitatio, *Connan. 5. comment. 8. Hun. in tract. de pact. c. 2. quest. 12.* quia etsi hic tacitus subsit consensus, vnusquisque enim præsumitur consentire & acquiescere, si in ipsius vtilitatem actus vergat, *l. Qui patitur. ff. mandati.* tamen ad constituendum pactum hoc non sufficit, quia in pacto requiritur cõsensus expressus & declaratus, in pollicitatione verò potest vtriusque esse consensus, sed tacitus. *dict. l. 3. Hun. cit. loc.*

4. Pactum generaliter sumptum, aliud publicum, aliud priuatum est. *Vvesenb. paratit. suis. de pact. num. 4.* publicum est, quod fit ex causa publica, v.g. si Princeps cum hoste de pace, foedere & inducijs paciscatur, *l. Conuentionum. 5. ff. de pact. Ioan. Bodin. 5. de Rep. 6. Cuiac. 15. obser. 33.* an verò idè

ad Duces belli extendendum fit; Et an Princeps cum hoste pacem faciens, possit boni publici causa damna subditis illata remittere, prius & posterius cum distinctione admittendum esse existimo, *Hun. in tract. de pact. c. 2. quest. 3.* item exemplum pacti publici est, si Princeps facinoroso impunitatem promittat, quod pactum Princeps, si delictum sit, contra legem civilem seruare tenetur, secus si contra moralem, *Cun. tract. de pact. c. 29. n. 35.*

5. Pactum priuatum est quod fit de re priuata & familiari, de qua quisque pacisci potest, qui expressè non prohibetur atq. *l. Mutus. ff. de procurat.* ita ut tamen non vergat in detrimentum publicum, *l. 7. §. 14. ff. de pact. l. 38. ff. eod.* Porro priuatum pactum iterum distinguitur in iuris gentium & legitimum, iuris gentium rursus subdistinguitur aut nudum est & in nudi placiti finibus consistit; aut non est nudum & est contractus, *l. 7. §. 2. ff. de pact. Vultei. in Iurisp. Rom. lib. 1. c. 29.*

6. Pactum autem tam genericè quàm specificè acceptum diuiditur in expressum & tacitum, *l. Labeo. ff. de pact. Treutl. Diss. de pact. thes. 3.* Pactum expressum est, quod fit consensu expresso accedente, etiam mutua interrogatione & responsione interueniente, *l. 7. §. 12. ff. Eod.* Immo & absentes expressè paciscuntur mediante nimirum epistola. siue propria manu scripta siue subscripta, cum scribere & subscribere pro eodè accipiantur. *§. 10. Inst. de contrah. Emt.*

7. Pactum tacitum est quod elicimus ex præsumpta voluntate contrahentium, cuius exemplum optimum extat in *l. Item quia. ff. de pact.* ubi illa quæ in urbanum prædium inuecta sunt, tacitè oppignorantur locatori, quod in prædijs rusticis negamus, item in supellectile libraria studiosorum inuecta in prædium urbanum. *arg. Auth. Habita. Cod. Ne filius pro patre. l. Executores. Cod. Quares pign. oblig. poss.*

8. Exemplum taciti pacti de non petendo est, si creditor debitori reddat chirographum, in quo ipse solus erat obligatus. *l. 7. de remiss. pign.* si autem plura habuerit chirographa & vnum reddiderit non pnotinus debito censetur esse liberatus, *arg. l. fin. ff. De his quæ in teste delent. Hun. in Diss. de pact. qu. 22.* in pignore verò reddito, tacitum pactum de non petendo esse nego *l. 3. ff. de pact.*

9. Pactum de non petendo diuiditur in reale & personale, *l. 7. §. Pactorum. ff. de pact.* Reale, quod transmittitur ad hæredes, personale, quod non egreditur personam, *l. 25. ff. de pact.* Pactum autem semper præsumitur esse reale, etiamsi certa persona expressa sit, nisi contrarium euidenter pateat. *Borcholt. de pact. c. 2. diu. 3. num. 22. Gædd. de contrah. & committen. stipul. n. 12.*

10. Tradita definitione & diuisionibus obiter pactorum, iusta methodus requirit, ut agamus de ijs qui pacisci possunt. Notandum autem in genere, quod omnes possint pacisci, qui expressè non prohibentur, *arg. l. Mutus. ff. de procurator.* pacisci enim de genere permissorum est. *l. Quod si minor. §. non semper. ff. de minorib.*

11. Prohibentur autem quidam natura, quidam lege. *Vvesenb. in parat. de pact. n. 5.* Natura prohibentur, qui nullum consensum habent, pars enim essentialis pacti consensus est, *l. 1. ff. de pact.* Tales sunt infantes §. 9. *Instit. de inutil. stipul. l. infans. ff. ad l. Conc. de sicca.* item furiosi, *l. In negotijs. ff. de R. I.* furiosi enim loco absentium in ijs habentur quæ consensum animi requirunt, *l. 2. §. 3. ff. de iure Codicill.* Sin verò furiosi dilucida habuerint interualla, *l. penult. Cod. de curat. furios.* absque dubio obligantur, quoniam testes in testamento esse possunt *l. 9. Cod. Qui testament. facere poss. Hunn. in tract. de pact. c. 3. qu. 1.* His etiam annumerari potest ebrius, qui sese inebriauit vsque ad mentis alienationem, quoniam id quod maximè in pacto requiritur, nempe consensus, *l. 1. ff. hic.* ipsi deest. absq; distinctione inter ebrium & ebriosum, vt hic obligetur, ille non obligetur.

12. Hinc ebrius ex delictis & criminibus commissis non obligatur, quoniam in omni delicto intentio & voluntas requiritur, *l. Qui iniuria ff. de furtio*, hæc autem in ebrio deficiunt, furioso enim comparatur, *c. 14. de vita Clericorum. & c. 8. caus. 15. quest. 2.* vti ergo furiosus non punitur, ita etiam nec ebrius. Nec obstat ebrium rei illicitæ vacantem sua excusari improbitate. *l. 203. ff. de R. I.* non ideo enim impunis est, quia rei illicitæ vacat, sed quia consensus qui in delictis requiritur, ipsi deest. Sin autem sobrius factus de delicto suo perpetrato gloriatur, ordinaria poena tenetur. *& ita D. Ambros. dict. can. 8.*

13. Lege pacisci prohibentur impuberes sine autoritate tutorum *Instit. de aut. tut.* si autem citra autoritatem tutoris contraxerint, non obligantur, nisi quatenus redditi sunt locupletiores. *l. 59. ff. de oblig. & act. l. 1. ff. de autorit. tutor. l. 1. §. final. ff. commod.* sed annè locupletiores facti obligentur naturaliter, an verò ciuilitè; prius amplector, quod nimirum pupillus ex pacto locupletior factus tantum obligetur naturaliter. id satis & euidenter probatur *l. Pupillus. ff. de autorit. tutor.* in qua expressè dicitur, pupillum locupletiolem redditum obligari naturaliter. cui accedit, quod non ex ciuili, sed naturali ratione obligetur, quæ suadet neminem cum alterius damno reddi locupletiolem, *l. Nam. ff. de condict. indeb.* Minorem etiam sine autoritate tutoris obligari verius est. *Vult. discept. Scholast. c. 16. Cuiac. lib. 9. ol. f. 33. Anton. Fab. 6. error. pragma. 9. l. 101. ff. de verb. oblig. l. Sciendum. Cod. de Nupt.* quibus & ratio addi potest, quod curator non detur personæ, sed bonis minoris, *l. 3. ff. de tut.* obligatio verò vinculum personæ & non rei est. *Instit. princip. de verb. oblig.*

14. Prodigio etiam lege interdictum est pacisci, quatenus nempe nec modum, nec finem expensarum facit, *l. 1. ff. de curat. furios.* sin verò conditionem suam meliorem reddat, pacisci potest, *l. 2. ff. de nouat.* taliter enim pupillo æquiparatur *l. certi condictio. §. sed et si ff. de rebus credit.* non verò locupletior factus, nec ciuilitè nec naturaliter obligatur. *l. Is cui, ff. de verb. oblig. l. 40. ff. de Reg. Iur.* decreto verò Magistratus aliquis declaratur prodigus. *l. 1. & 10. ff. de curat. furios.*

15. Tandem lege prohibetur pacisci maritus cum vxore, si donationis causa paciscatur, *tot. tit. ff. & Cod. de donat. int. vir. & vx.* stante autem statuto vel consuetudine, vt viro & vxori communia sint bona tempore matrimonij acquisita, conuentio inter coniuges qua vxor renunciat lucro acquisito & acquirendo, valet. *Cuno. tract. de pact. c. 6. num. 121.* vnusquisque enim fauori pro se introducto renunciare potest. *l. penult. Cod. de pact.*

16. Vti ergo omnes quibuscum ius gentium commune est, pacisci possunt, ita & cum omnibus cum quibus iuris gentium communio est, pacisci licitum est. Pacta siquidem iuris gentium sunt, *l. 1. & 7. ff. de pact.*

17. Et primo quidem pactum hosti vero, *l. Hostes, ff. de capt. & postlim.* seruandum est, *c. noli. caus. 23. quest. 1. l. 21. ff. de neg. gest.* quæ lex quam maximè ostendit, pactum hosti seruandum esse.

18. Transfugis quoque fides seruanda, aut enim non temerè danda aut data seruanda. communionem enim iuris gentium habet, *l. 5. §. 1. ff. de cap. minut.* Sed ius gentium pacta tueretur, *l. 1. ff. hic.* ergo pactum ipsis seruandum est.

19. Hæreticis & infidelibus etiam fides data seruanda est, nec obstat:

Frangenti fidem fides frangatur eidem.

Fidem enim non theologicam, sed politicam accipimus. *Hunn. in disp. de pact. quest. 44.*

20. Pacto inito cum latrone standum est, *l. 3. ff. de pact.* si sit de re licita & non vergat in detrimentum publicum; pactis enim priuatorum iuri publico derogari non potest, *l. 31. ff. de depos.* latro enim hic non sumitur pro scelerato & facineroso, sed pro viro bono & quatenus Reipublicæ obediens est, quatenus autem pro vero latrone sumitur, pactum cum ipso initum seruandum non est, vt si certum precium pro vita tuenda promissum sit, tale enim pactum exceptione metus remouetur. *l. 7. §. Ait prator. ff. de pact. Treut. thes. 7. disp. de pact.*

21. Princeps, si cum priuato paciscatur tenetur ex pacto, commutatiua enim iustitia quæ in pactis dominatur Princeps solutus non est. *Vvesenb. in parat. suis. de iure & iustitia.*

22. Quod ad materiam pactorum attinet de quauis re pacisci licet quæ expressè in pactum deduci non prohibetur. *Treut. disp. de pact. thes. 7.* res porro vel est corporalis, vel incorporalis; corporalis rursus vel mobilis, vel immobilis; mobilis subdistinguitur in rem mouentem, quæ per se mouetur, & mobilem in specie, quæ non mouetur, nisi ab alio. *l. Mouentium. ff. de verb. signif. Vult. Inst. de diuisione rerum.* Res incorporales vero nihil aliud quam ius in re constitutum est, & quod ab impositione hominis pendet inhæretq; suo principali vt adiunctum suo subiecto. de his autem rebus pacisci possumus, quoniam in nullis legibus de his pacisci prohibemur, pactum autem de genere permissorum est, *l. Quod si minor. §. Non semper ff. de minorib. Vvesenb. in parat. de pact. n. 5.*

23. Rur-

23. Rursus res sunt vel nullius, vel alicuius, *Inst. de rer. diuis. in princip.* de rebus quæ nullius sunt, nec ratione possessionis, nec ratione dominij, pacisci possumus, quoniam non entis nullæ sunt qualitates. Res alicuius verò est vel diuina, vel humana. *Schneid. de rer. diuis. n. 4.* diuina, vel verè diuina vel quasi, de re autem diuina pacisci prohibemur, quoniam sacra profanis misceri non debent. Humana vero res est, vel publica, vel priuata, de publica omnia pacta licita sunt, si non expressè prohibita aliqua lege sint, vel si non vergant in detrimentum publicum, *l. Ius publicum. ff. de pact.*

24. Vnde Princeps cum hoste foedus initum seruare tenetur, & ex contractu antecessoris sui obligatur, quatenus de rebus spectantibus ad imperium contractum est, quatenus verò de rebus patrimonialibus antecessor pactus fuit, non tenetur. cum nemo teneatur voluntatem defuncti implere, nisi hæres, *l. 4. ff. de obligationib. & act.* successor autem regni priori non succedit, sed eligitur ad successionem, *Hotoman. illust. quest. 1. Vult. 1. Iurisp. 1. 2. num. 78. Ioan. Bodin. de repub. lib. 1. c. 8.*

25. De quauis priuata re eodem modo pacisci licitum est, si non aliqua lege prohibeatur. hinc turpe & lege prohibitum est pactum, si aduocatus etiam iuramento adhibito, *l. final. Cod. de non numerat. pecun.* paciscatur cum cliente de quota litis, *l. sumptus. ff. de pact.* quia occasionem præbet aduocatis delinquendi, & propter spem lucri quocumque dolo vtendi, eo fine vt aduersarius supprimatur.

26. Inter pacta priuata prohibita quoque numeratur; si medicus cum ægroto de mercede sua paciscatur. *l. Si medicus. ff. de extraordin. cognit.* hoc autem ita intelligendum, si iustum & æquum precium excedat, tale enim pactum à doctoribus improbatur, *Pinell. in l. 2. p. 2. num. 33. Cod. de rescind. vendit. Cuno tract. de pact. cap. 12.* & ratio est, quod metu sit extortum, quæ irrita & nullius momenti sunt. *tot. tit. ff. de eo quod metu.*

27. Hisce autem pactis prohibitis non annumeratur, si aliquis paciscatus de alimentis in testamento relictis, quoniam hoc pactum prohibitum non est, & quanquam transactio prohibita de hisce alimentis sit, *l. 8. Cod. de transact.* tamen non eadem ratio militat in pacto, quoniam ea quæ homines faciunt facilius ea permittunt iura difficilius, *l. 4. ff. ad Senatusc. Vellei.* sed non ita faciliè homines donant, *l. Cum de indebito. ff. de probat.* facilius enim modico lucro præsentis contenti res alienabunt. *l. dict. 8.* quam vt pacto donent, quoniam donare est perdere. *l. filiusfamilias. ff. de donat.* ideo iura pacta de his alimentis non transactionem permittunt. *Hunn. tract. de pact. cap. 2. q. 13.*

28. Pactis adhæc prohibitis annumeratur pactum de succedendo, illud autem vel initur de hæreditate eius cum quo paciscimur & prohibitum est, *l. pactum. Cod. de pact. leg. 1. ff. de verb. oblig.* & ratio est, quod in filijs reuerentiam debitam parentibus euertat, quod inducat votum alterius mortis & præbeat occasionem insidiandæ alterius vitæ, *leg. vlt. Cod. de pact. Gail. 2.*

obseru. 126. & sequent. Borch. tract. de pact. c. 5. num. 59. Gædd ad l. 3. ff. de ver. signif. num. 38. quibus & hæc ratio addi potest quod turpe sit, & bonis moribus repugnet, sollicitum esse de hæreditate viuentis, l. moribus. ff. de vulg. & pupill substit. hoc autem pactum ita inualidum, triste & lugubre est, vt ne quidem accessione iuramenti validum reddatur. P. Gregor. lib. 41. num. 24. Fach. 8. controuers. 7.

29. Sed ab hac regula pactum reciprocum excipitur, quod non extendendum est ad quosuis priuatos, sed tantum ad milites & personas illustres, veluti, Principes, Barones, Comites & Nobiles, arg. l. licet. Cod. de pact. Hotoman. 1. cons. 72. num. 33. & ratio quod inter priuatos tale pactum non valeat, est, quia occasionem præbet insidiandæ alterius vitæ. l. final. Cod. de pact. Deinde quia eripit voluntatem & libertatem testandi, l. 10. Cod. de pact. libera autem voluntas & arbitrium testatoris debet esse vsque ad extremum vitæ halitum, l. Quod si iterum. ff. de adimend. & transf. leg. tale etiam pactum reciprocum inter coniuges admittendum est. Gail. 2. obseru. 126. n. 2.

30. Pactum verò de successione tertij est, vel certi, vel incerti. Si incerti, id semper valet, quoniam ibi potius pactum est de communicando, quod ideo permissum est, quia licet de futuris bonis societatem inire, & omnes rationes prohibitoria superius allegata deficiunt. P. Gregor. 41. Syntag. 5. num. 2.

31. Vel est certi, quod tum demum valet, si alter certus suum consensum adhibuerit, & permanserit in ea voluntate vsque ad etxremum vitæ exitū. l. fin. eod. de pact. Menoch. 1. cons. 6. n. 26. Sin verò ipso ignorante & non consentiente tale pactū ineatur, prorsus inualidum erit. l. 29. § final. ff. de donat. l. 4. Cod. de inut. stipul. immò ita prorsus inualidum hoc pactum est, vt si patre ignorante ineatur cum filia quæ aliàs ab intestato erat successura, tamē nullius valoris sit. arg. l. Is. Cod. de pact. VVesenb. c. 51. n. 1. nec statutum admitti potest quod tale pactum de successione tertij confirmet, Sich. in l. 3. Cod. de collat. Bald. & Zas. l. 2. Cod. Quæ sit long. cons.

32. Si pater cum filia paciscatur vt dote contenta sit, & filia consensum suum adhibuerit, eatenus pactum valebit, vt filia tantum possit agere ad supplementum legitime, arg. l. pactum. Cod. de pact. l. 3. Cod. Eodem. Moll. 1. semest. 9. nec obstat quod patri eripiat liberam voluntatem testandi, cum etiam filia renunciatione non obstante possit esse hæres ex testamento patris. Gail. 2. obs. 148. n. 11.

33. Si verò filia, taliter renunciauerit paternæ hæreditati, nihilominus si ante patrē moriatur, filij non obstante ista renunciatione ad successione aui admittentur, ratio, quia iuramentum omne personale est, nec obligat successores. c. Debitores extr. de iureiur. l. 3. § penult. ff. de iureiurand. deinde quia filij proprio & non alieno iure succedunt. Nouell. 118. cap. 1.

34. Vnde etiam, etsi filia hæreditati paternæ renunciauerit, postea tamē fratres omnes moriantur absque liberis, hoc pacto non obstante ad successione

sionem

tionem sui patris admittitur, quoniam remotis his, in quorum fauorem hæc renunciatio facta est, etiam ipsa renunciatio censetur esse sublata, sed filia præsumitur in fauorem & gratiam suorum fratrum renunciaffe, ergo his extinctis & non existentibus, causa renunciationis sublata est, & per consequens ipsa renunciatio, *Menoch. 1. conf. 6. Gail. 2. obs. 148.*

35. Hoc pacto renunciatorio à filia inito, & si filia congruam dotem acceperit, etiam postea auctis bonis paternis non poterit agere, vt dos ipsi augeatur, ratio autem ista maximè esse potest, quod filia non teneatur patri partem dotis restituere etiamsi ad inopiam pater vergat. *l. final. ff. de dot. collat.* ita argumento à contrario sumpto, auctis paternis bonis non poterit agere ad augmentum dotis. *arg. l. penult. Cod. de donat.*

36. Sin verò filia ex pacto quo paternæ hæreditati renunciat, læsa sit, non ideo rescindendum existimo pactum, non admissa distinctione inter læsionem enormem & enormissimam. Ratio est, cum renunciatio sit mera donatio. *arg. l. de fideicom. Cod. de transact. l. modestinus. ff. de donat.* Donatio autem cum ex mera liberalitate fiat, non facilè reuocatur, nec ratio læsionis habenda est, cum agitur de iure nondum quæsito, sed quærendo, quod in dubio euentu versatur. *vt Bart. ait in l. 1. §. Nunciatio ff. de nou. oper. nunciat.*

37. Quod ad effectum pactorum attinet distinguendum est cum *Vvesenbecio*. Primò, quid operetur iure naturali. Secundò, quid ciuili. Tertio, quid iure canonico & moribus nostris.

38. Et primò, quod iure naturali producat obligationem naturalem contra *Francisc. Conn. hic. lib. 5. commen. 1. cum Hunnio, Vvesenbecio, Cunone* defendam. Primò, quia in *l. 5. §. 2. ff. de solut.* expressè dicitur, vsuras ex pacto naturaliter deberi, atque vbi naturaliter debitum est, ibi quoque obligatio naturalis est, posita enim causa, necessariò quoque ponitur effectus; si ergo hoc in pacto valeat vsurario, multò magis in alijs valebit, cum pactum vsurarium nullatenus fauorabile sit. Secundò, quoniam quod ex pacto soluitur, repeti non potest. *l. 21. Cod. de pact.* ergo ex pacto naturalis oritur obligatio & naturaliter debetur.

39. Iure ciuili pacta non producant actionem, sed tantum exceptionem. *Vaconius à Vacun. lib. 1. declarat. 2. Ant. Fab. in l. 7. §. 5. ff. de pact.* nec obstat lex naturalis. *ff. de oblig. & action.* in qua *Paulus & Iulianus* aiunt, obligationes naturales non solum eo æstimantur, si actio aliqua earum nomine competit, sed, etiamsi soluta pecunia, repeti non possit. Ad illam enim legem respondeo, regulare quidem esse, ex obligatione naturali, nullam actionem nasci, sed tamen id quandoque irregulariter euenire, & talis casus vnus in hac lege est, qualis etiam in *l. 5. ff. de autorit. tut.* item pactum producit actionem ciuilem, si nimirum in continenti adiiciantur bonæ fidei contractibus. *l. 7. §. Quin immò. ff. de pact.* & non tantum bonæ fidei, sed etiam stricti iuris. *Francisc. Hotom. Illust. quæst. 36. & 37. Ant. Fab. 5. coniect. 10. Gilcken. in l. 13. Cod. de pact. l. 52 ff. de verb. oblig.*

40. Itē actio datur ciuilib, si synallagma interuenerit. *l. 7. §. 1. ff. hic.* Actionem etiam ciuilem producant, si in proprium nomen transeant: vt emptio, venditio, locatio, conductio. *VVesenb. de pact.* vel si iureiurando aut traditione munita sint. *l. in traditionibus. ff. de pact.*

41. Pacta porro iure nouissimo muniuntur, si litteris vel chirographo muniuntur, quia transeunt in contractum, qui litteris constare dicitur, unde hodierno tempore, cum omnia pacta in scripturam redigantur, vix nuda pacta reperiuntur. *VVesenb. in parat.*

42. De Iure verò canonico & moribus nostris ex nudo pacto actio datur, de iure canonico quod datur, probatur *cap. 1. extr. de pact. c. Qualiter. 3. extr. Sichard. in rub. Cod. de pact. Borchol. de pact. c. vlt. num. vlt. Couuar. in relict. c. Quamuis. part. 2. §. 4. num. 24.* Deinde Deus inter simplicem loquelam & iuramentum non distinguet. ergo nec inter pactum & aliam conuentionem.

43. Moribus nostris quod in omni foro hodierno tempore ex pacto actio datur, testatur *Bart. in l. si fideiuss. §. quadam. ff. mandati.*

44. Actio ex pacto nō datur præscriptis verbis, quia vt datur præscriptis verbis necessum est, vt interueniat synallagma. *l. Cum mota. Cod. de transact.* hoc autem in pacto nusquam solet euenire, ergo potius datur actio à lege, quæ omnibus contractibus competit, quæ nouo iure introducti sunt, nec proprium nomen à lege sortiti. *Bart. in l. vni. ff. de cond. et indeb.*


45. Superest ergo vt tradamus de contrarijs pactorum, & quibus modis pactum tollatur. Contraria verò sunt error, dolus & metus, sed quia nihil tam contrarium conuentioni quam error, *l. Si per errorem. ff. de iurisdic.* ideo pactum per errorem initum, nullum est. Pactum autem metu extortum, quoniam ipso iure quidem non est nullum, coacta enim voluntas est voluntas. *l. Si patre. ff. de ritu nupt.* ideo prætor per exceptionem pactum dolo & metu extortum remouet. *tot. tit. de eo quod met. & de dol. mal.*

46. Pacta priora per posteriora tolluntur. *l. Nouissima. Cod. de pact. Anton. Fab. ad l. 27. §. Pactus. ff. de pact. ibidemq. Zas. & Hotomannus.*

47. Sed quomodo pacta posteriora per priora tollantur, valdè controvertitur inter interpretes. & quanquam alij contendunt ope exceptionis tolli, *arg. l. 27. §. Pactus ff. de pact.* tamen cum *Donello ad l. 11. Cod. de pact. Anton. Fab. in rati. ad l. dict. 27 §. Pactus. ibidemq. Corrasio* dicendum videtur, non ope exceptionis, sed ipso iure tolli, quod valdè confirmatur, *per l. 95. §. 4. ff. de solut.*

48. Vltimò ergo dicendum, quomodo pacta ambigua interpretanda sint, & sepositis aliorum opinionibus, placet contra eum interpretandum, qui legem contractui apertiore dicit potuit. *l. in contrah. 172. ff. hoc tit. l. 21. ff. de contrahen. empt.*

F I N I S.




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.




X 2874408

94 A 7386

VD 17





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ES IVRIDICÆ,
ACTIS
 NERICIS,
 CIFICIS.

AS
aspirante.
 IBVS
Simis Viris, ac DD.
 NO, I. V. Doctore, &
 , SS. LL. Licentiatto,
 tore & Fisco.
grippinensis Vniuersitatis, Iu-
rio, publico examini
tit,
 uithuis / Nob. Iuliac.
 die 22. Martij.

RIPPINÆ,
 , prope Augustinianos.